



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Dispvtaones Theologicae

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

Martinon, Jean

Burdegalae, 1644

Dispvatio XV. De generalibus diuisionibus actuum diuinæ voluntatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)

Ad primum respondeo repugnantiam volitionum simplicem & absolutam, esse imperfectiorem; neque esse posse in eadem voluntate sine inconstancia & mutabilitate. Sed non est talis repugnantia in eo quod Deus velit saluare reprobos, si velint ipsi cooperari: & absolute nolit saluare, posito quod nolint cooperari; eademque de causa illos reprobet. Est enim diuersum obiectum, & diuersa voluntatis, vt manifeste patet: & modi illi tendendi ad vtrumque, se facile compatiuntur. Ad secundum, concedo sequelam. Nam reprobatio est contra affectum & sincerum desiderium quod Deus habet vt reprobi cooperentur, & saluentur, & contra propensionem quam ex se habet ad volendum absolute saluare, posita cooperatione. Hoc tamen inuoluntarium prouenit ab exigentia obiecti, & praescripto recta rationis. Nam quia in obiecto malum aliquod admittitur bono; Deus vult antecedenter & a se bonum, nempe salutem & cooperationem reproborum: malum autem peccati, & negatio libera cooperationis, illi displicet. Permittit tamen propter bonos fines suae prouidentiae: & reprobat absolute propter negationem cooperationis.

Ad tertium Respondeo Agathonem loqui de voluntate efficaci quantum in se est naturaliter, id est, per vires sibi connatura-

les, & per media naturaliter sibi possibilia. Nam supponit Agatho Christum voluisse latere efficaciter, non omnino, sed secundum quid: nimirum quantum poterat per media naturalia, & per vires naturaliter subiectas ipsius voluntati humanae, sine recursum ad miracula, & ad diuinam omnipotentiam. Ita vt si non sufficerent omnia media quae naturaliter poterat adhibere, vellet permittere appositum, neque propterea recurret ad inuisibilitatem, aut aliam miraculosam occultationem. Eoque sensu recte ait Euangelista, *Voluit latere*, nempe quantum poterat humanitus, siue humano modo: occulte intrando domum, & se occultando quantum humano & communi modo fieri potest: *Nec tamen potuit*: id est, huiusmodi media non fuerunt sufficientia, neque per ea obtinuit vt lateret. Et hoc sensu recte supposito, tanquam in verbis Euangelistae benedictio optima est argumentatio Agathonis, & differentia ab illo assignata. Nam illa voluntas quae non potuit assequi id quod volebat, applicando omnia media sibi naturaliter possibilia, & per omnes vires connaturaliter sibi subiectas, non potuit esse voluntas ipsa Dei, de cuius natura est omnipotentia, cuique omnia subsunt constituturali potestate iuris & facti, ad faciendum quicquid vult.

DISPUTATIO DECIMA QVINTA.

De generalibus diuisionibus actuum diuinæ voluntatis.

Sectio I. *Quotuplex sit actus diuinæ voluntatis?*

Sectio II. *De voluntate efficaci, absoluta, antecedente, eiusque opposito.*

Sectio III. *De voluntate signi, & beneplaciti.*



De argumento proposito disputat S. Thom. quæst. II. art. 4. 3. 6. 11. & 12. ubi docet voluntatem Dei esse causam rerum, eamque nullam habere causam, & semper impleri aliquo modo: esseque in Deo distinguendam voluntatem signi, à voluntate beneplaciti. Voluntas enim proprie dicta, vocatur voluntas beneplaciti. Voluntas autem metaphorice dicta, est voluntas signi, eod quod ipsum signum voluntatis, dicitur voluntas. Huiusmodi autem signa voluntatis diuinæ quinque sunt: operatio, præceptum, consilium, prohibitio, & permissio. Nam huiusmodi signa voluntatis in-

quibus dicuntur ea, quibus consuevimus demonstrare nos aliquid velle. Potest autem aliquis declarare se velle aliquid, vel per seipsum, vel per alium. Per seipsum quidem, in quantum facit aliquid vel directè, vel indirectè, & per accidens. Directè quidem, cum per se aliquid operatur: Et quantum ad hoc dicitur esse signum, operatio. Indirectè autem, in quantum non impedit operationem: nam remouens prohibens dicitur mouens per accidens. Et quantum ad hoc dicitur signum permissio. Per alium autem declarat se aliquid velle, in quantum ordinat alium ad aliquid faciendum: vel necessariâ inductione, præcipiendo quod vult, & prohibendo contrarium: vel aliquâ persuasoriâ inductione, quod pertinet ad consilium. Quia igitur his quinque modis declaramus quod volumus: propter hoc ista quinque appellantur interdum nomine voluntatis diuinæ, tanquam signa voluntatis: vt Matth. 6. vers. 10. Marc. 3. v. 35. Rom. 9. vers. 19. aliisque locis. Et permissio quidem, & operatio, referuntur ad præsens: permissio videlicet ad malum: operatio ad bonum. Ad futurum autem, prohibitio respectu mali: respectu vero boni necessarii, præceptum: & respectu superabundantis Boni, consilium. Hæc D. Thom. quæ tribus sequentibus sectionibus explicabuntur.

SECTIO I.

Quotuplex sit actus diuinæ voluntatis?

I. Actus diuinæ voluntatis re ipsa vnicus, ratione multiplex est. Ac primò quidam sunt circa Deum ipsum; quidam circa alia extra Deum, possibilis, vel impossibilis; existentia, vel non existentia. Secundò, quidam actus sunt liberi, quidam necessarii. De qua vtraque diuisione constat ex dictis. Tertio, diuidi possunt actus diuinæ voluntatis iuxta diuisionem actuum voluntatis creatæ, qui generatim sunt velle & nolle, amare & odisse, desiderare & fugere, gaudere & tristari. Et hos constituunt communiter Philosophi morales in parte concupiscibili appetitus. Ultra quos numerant quinque alios in irascibili: spem & desperationem, audaciam, timorem, & iram: qui tamen ad superiores reuocari possunt, a quibus intensio tantum, & vehementia, vel habitudine aliqua differunt, vt alibi dicitur.

2. Cum autem ea quæ de Deo cognoscimus, ex perfectionibus quæ sunt in creaturis cognoscamus; appetitum etiam diuinum iisdem actibus, quibus nostrum, quasi definimus: ita tamen vt eiusmodi actus longè aliter se habeant in Deo, quam in nobis: & imperfectiones, si quas habent, ab eo remouendæ sint, vt angor, tristitia, anxietas, mæror, desperatio, abiectio animi &c. qua de se per se facili, & in qua non lubet inmorari, videri po-

test Suarez lib. de attributis cap. 7. vbi singillatim disputat de his actibus ad diuinam voluntatem comparatis: & quibus desperationem rectè censet à Deo penitus remouendam esse. Deus enim nunquam propter difficultatem animum abijcit, neque abijcere potest. Idemque sentio de tristitia, quoad inquietudinem, & sensum doloris, quem addit supra odium simplex mali præsentis, & proprii, vel alieni. Idem etiam de timore, & fuga mali futuri & imminenti, quoad anxietatem, difficultatem, aut impossibilitatem vitandi. De volitione & nolitione, amore, odio, & aliis, clarum est nihil habere cur Deo repugnent, nisi rationem extrinsecam arduitatis & difficultatis obiecti, quam respicere censentur actus qui ad partem irascibilem pertinent.

Quarta diuisio tradi potest iuxta progressum voluntatis humanæ in suis deliberationibus, vbi tres actus generatim interueniunt: intentio finis, electio mediõrum, & vsus sine applicatio aut executio. Qui actus sunt in diuina voluntate, & dicunt perfectionem: neque inuoluunt imperfectionem vllam, propter quam Deo conuenire non possint. Ex hac autem diuisione oritur distinctio signorum rationis inter actus diuinæ voluntatis, sumpta ex parte obiecti. Nam vt diximus disput. præcedenti, duplex est ordo inter actus diuinæ voluntatis. Vnus est ex parte subiecti, quatenus vnum sibi prius vendicat quam alium; & sic volitio Dei, verbi causa, circa possibilis, quia essentialis, est prior voluntate efficaci circa ipsorum existentiam, vt pote accidentaria logicè & contingenti: Essentialia enim

Alii respõdet nostris deliberationibus.

TINO
US
M

sunt priora non esse naturalibus & contingentibus. Alter est ex parte obiecti, seu potius ex modo tendendi in illud: quatenus inter obiecta quae voluntatem cadunt, vnum est alteri ratio volendi aut nolendi. Quo pacto Deus media propter finem appetens, prius vult finem quam media. Prius etiam peccatum odit, quam propter ipsum velit punire peccatorem. Prius accipit meritum, quam propter ipsum velit conferre gloriam. Est etiam alius ordo rationis inter actus voluntatis comparatos cum actibus intellectus. Nam generatim actus intellectus proponentes obiectum sunt priores actibus voluntatis versantibus circa obiectum propositum, ut ibidem exposuimus.

4. Dices haec non coherere cum doctrina D. Thomae quaest. 19. art. 5. Essentis nullam esse causam diuinam voluntatis: & licet sit voluntas quorundam propter finem, ipsam tamen secundum se non habere finem, sed tantum secundum obiectum: neque velle hoc propter illud, sed tantum velle hoc esse propter illud. Respondet D. Thomam, ut patet ex 6. Sed contra, & ex eius discursu in corpore articuli citati, loqui de vera & reali causa, quam nos etiam in actibus diuinam voluntatis exclusimus disp. 12. sect. 1. & merito. Quia cum volitio diuina, seu necessaria, seu libera, non sit entitas distincta ab essentia diuina, neque facta, neque producta, neque multiplex realiter; non magis potest habere veram causam & realem, quam fieri & produci per veram & realem causalitatem. Rationem tamen habere potest, & rationis ordinem, secundum quem prius in vnum tendat, quam in aliud, & in hoc propter illud. Quo sensu possunt & debent haec intelligi: *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus.* Proverb. 16. *Proiegam urbem hanc propter me, & propter Dauid seruum meum.* 4. Reg. 20. *Elegit nos in ipso*, id est, in Christo & propter Christum, *ante mundi constitutionem, ut essemus sancti* Ephes. 1. & similia. Ac sicut in aliis attributis vnum potest esse ratio alterius, vnde admitti possunt haec locutiones, Deus vult hoc, quia vult illud; intelligendo per quia, prioritatem tantum rationis, & non realem causalitatem. Ita Suarez, lib. 2. de attributis, cap. 7. num. 12. & plures alij recentiores, praesertim de Thomistis, cum ipso D. Thoma 1. contra Gentes cap. 87. initio. Ad autem est loqui de volitione & nollitione diuina: & aliud, loqui de obiecto volito aut nolito, ut tale est. Hoc enim causam realem habere potest, & secundum illam esse volitum. Sic afflictio potest esse volita propter peccata: & praemium propter merita bona: & medium propter finem. Neque vero assentior Vasqui disp. 82. Cap. 2. affirmanti nihil aliud esse Deo rationem volendi praeter suam bonitatem. Cum Scriptura saepius asserat, Deum multa propter Abraham, Isaac, Iacob, Dauidem, Moysen, & alios sanctos, ac praecipue propter Christum operatum esse: & quosdam e rebus creatis voluisse pro-

Voluntas diuinæ non datur causa, sed ratio.

in actibus voluntatis.

Suar.

D. Thomas

Vasquez.

pter alias: tamen tandem omnia ad suam gloriam ordinet, & omnia propter semetipsum tanquam finem eorum vltimum operetur, ut dicitur Proverb. 16.

Quintus diuisio est in volitionem mediatam, & immediatam. Quae, iuxta ea quae diximus disp. superiori de cognitione mediata & immediata, explicanda est. Sicut enim cognitio mediata est vnus per aliud, id est, vnus ut cognitio formaliter vi penetrationis alterius: sic amor mediatum est amor alius cuius ut amati formaliter vi amoris alterius, siue vnus amor vi alterius obiectiue praemati. Sicut autem Deus & seipsum, & alia extra se, quae immediate, quae mediate cognoscit: ita vtroque modo diligit. Et quidem de Deo constat esse amabilem immediate. De creaturis vero probatur, quia sicut ipsae habent propriam perfectionem distinctam a diuina, ita & propriam amabilitatem: ergo immediatam. Ad eod. ut si per impossibile non essent amabiles in alio: secundum tamen propriam perfectionem essent amabiles & bonae. Vterius cum Deus sit radix bonitatis creaturae, quae per se est amabilis; Deus eatenus est amabilis mediate, quatenus confert ad amabile creatum: & eatenus non potest non amari a seipso, quod non potest non ferri per voluntatem in omne amabile necessarium, sicut per intellectum fertur in omne necessarium verum. Et quemadmodum homo vel angelus seipsum amans, amat simpliciter Deum ut sibi necessarium: sic etiam Deus amans creaturas, seipsum amat in illis mediate, ut necessarium ad ipsarum esse. Sicut etiam cum creatura, ut possibili, habeat necessarium connexionem cum Deo, sicutque necessariae secundum propriam bonitatem & perfectionem, ex eo quod bonitas diuina sit quanta est, infinite scilicet communicabilis, & omnipotens, radixque & fundamentum ceterorum entium: sequitur Deum posse amari mediate in illis, quemadmodum & ipsas amari posse mediate propter Deum. Denique sicut creaturae aliae in aliis cognosci possunt, ut causae in effectis &c. ita possunt amari mediate aliae in aliis, non tantum quoad esse possibile; sed etiam quoad actuale.

SECTIO II

De voluntate efficaci, absoluta, antecedente eiusque opposito.

Sexta diuisio actuum diuinam voluntatis est in actus efficaces & inefficaces. Voluntas efficax proprie & per se illa est, cuius vis tendit ad aliquid efficiendum, ita ut non possit permittere aut pati oppositum, sed resoluta sit ad superandum quoduis impedimentum, si quod occurrat. Et haec semper impletur: de qua illa dicitur Isa. 46. *Consilium meum stabit, & omnis voluntas mea fiet.* Et Hester 13. *Non est qui possit tua resistere voluntati.* Et ad

Dei voluntas dicitur immediate.

Voluntas diuina est actus quodammodo efficax, alia vero non.

Rom. 9. *Voluntas eius qui resistit?* Latius tamen sumitur, & minus proprie, voluntas efficax pro ea omni qua quomodocunque habet effectum, siue ex se & vi sua, siue per accidens, ob defectum impedimenti, quod tamen posset esse. Contra verò inefficax est, vel quæ sua vi non ita fertur in effectum, vt permissione oppositi excludat: vel quæ re ipsa non habet effectum, quia impeditur vt non habeat, & non intendit habere, aut omnino, aut quantum opus est. Huiusmodi est voluntas de qua dicitur 1. ad Tim. 2. *Vult omnes homines saluos fieri.* Et 1. Petri 2. *Sic est voluntas Dei, vt benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Etenim Deus hæc non ita vult, quin patiat in plurimis oppositum.

7. Obicitur primò, quomodo potest Deus velle aut desiderare quod scit non esse futurum? nam huiusmodi desiderium videtur esse inutile. Secundò si contra Dei voluntatem aliquid fit, Deus non est beatissimus, neque contentus vsquequaque.

Ad primum respondeo negando assumptum. Huiusmodi enim desiderium, quamuis inefficax, est per se bonum, & est ratio præbendi creaturæ occasionem agendi aliquid quod pertinet ad eius perfectionem. Licet malitia aut negligentia creaturæ possit frustrare intentionem diuinam. Ad secundum, nego sequelam: quia Deus sic illa vult, vt tamen velit permittere oppositum. Eset quidem minùs beatus & contentus, si contra plenam eius voluntatem & simpliciter efficacem aliquid fieret, quod ipse non posset impedire: at nihil tale fit.

8. Septima diuisio actuum diuinæ voluntatis est in actus absolutos, & conditionatos. Voluntas absoluta dicitur, quæ nullam inuoluit conditionem in obiecto. Conditionata verò, quæ aliquam inuoluit. Non est autem idem voluntas efficax, & absoluta: vel conditionata, & inefficax. Nam absoluta potest esse inefficax; & efficax potest esse conditionata. Deus enim verè & absolute vult sua mandata seruari, ita vt fiat contra eius voluntatem cum non seruantur: neque tantum vult si velint homines, sed absolute. Et tamen sæpe non seruantur re ipsa. Deus etiam vult efficaciter dare gloriam prædestinatis, vt præmium: & reprobos damnare in pœnam: non tamen nisi cognita & præiudicata conditione meriti vel demeriti, quæ cum ponitur, transit voluntas conditionata in absolutam. Quod autem Deus quædam velit, vult & simpliciter & sine vlla conditione, quædam autem cum conditione adiuncta, manifestum est. Ad actus autem conditionatos reprobari potest velleitas quædam, quæ etiam in Dei voluntate intelligi potest: & non est actus voluntatis, re ipsa, vt ita dicam, existens, sed qui esset, si conditio aliqua non deesset, aut si non esset obstaculum. Pro quo nota actum voluntatis significari aliquando vt existentem, v. g. volo, cupio, nolo; interdum autem non vt existentem, sed potius pronit-

tem quandam & dispositionem ad actum, qui esset, si conditio quædam poneretur. V. g. vellem, cuperem, si videlicet putarem obtenturum. Itaque hic actus verè non est, sed esset. Differt tamen hic actus ab actu existenti de obiecto conditionato, qualis actus potest esse in nobis secundum cognitionem imperfectam & abstractiuam, vt, volo hoc si Deus est gratum: qui actus existens est, sed circa obiectum includens conditionem quæ fore non est. At huiusmodi actus fertur in obiectum non cognitum intuitiue aut clarè: & in Deum non cadit. Quod tamen affectus conditionati sint in Deo secundum præcisionem, & considerationem aliquam pro aliquo instanti rationis, patet ex negotio prædestinationis. Nam in instanti rationis præcedente electionem mediorum & præuisionem euentus, vult Deus verè & sincerè gloriam omnibus. Vult enim omnes homines saluos fieri, si per eos non steat. Quod verò etiam in Deo possit intelligi velleitas, id est, actus qui esset si esset aliquid aliud, & propensio ad illum actum, patet: quia si futurum esset vt Iudas v. c. conuerteretur, esset, quoque verum, quod Deus vellent illi dare gratiam & gloriam; & Deus habet affectum & propensionem ad id volendum absolute, quia habet affectum & fingerum desiderium vt ponatur illa conditio, quæ posita, vellent absolute: sitque contra illius voluntatem, quando non ponitur. Similiter si Deus Christum decreuit antedecere ad præuisionem peccati Adæ; habuit propensionem ad illum mittendum in carne impassibili: nam passibilitas non fuit decreta nisi occasione lapsus humani generis.

Circa eandem diuisionem nota, nomen conditionis sumi aliquando pro ea conditione quæ significatur per vocem, Si: aliquando pro circumstantia, adiuncto, & dispositionibus: quo modo est conditio in morte, quod fit finis malorum; in homine, quod fit peccator. Iuxta quam significationem, distinguunt aliqui volitum absolute, id est, per se solum consideratum; à volito cum conditione, id est, propter adiunctum aut circumstantiam, quæ non semper significatur per particulam, Si, sed per, Quia, Quatenus, & similes: Vt, volo secare membrum putridum, qui nocet: damnare reprobum, quia in peccato mortali est. Quo sensu voluntas conditionata multò latius patet, quàm prout sumitur magis proprie pro ea quæ inuoluit conditionem significatam per particulam, Si. Nota præterea voluntatem absolutam, non raro sumi à Theologis alio sensu, quàm hucusque explicatum fuit. Nempe pro voluntate plena, & vt Gallicè loquimur, resoluta. Quod est idem ac voluntas simpliciter efficax, quæ scilicet de se non potest pati permissionem oppositi, quæque vel nullam penitus inuoluit conditionem in obiecto, vel si inuoluit, non per illam suspenditur, sed vult omnino conditionem illam ponere, & quicquid aliud necessarium est. Nec vult permittere

Potest in Deo intelligi quædam velleitas.

oppositum. Quo sensu illi qui docent Deum antecedenter prædestinasse homines ad gloriam ante prævisionem meritorum, quam tamen voluit consequerentur per merita, & dependenter à meritis: aiunt nihilominus Deum illos prædestinasse antecedenter absolute: quia voluit omnino efficere ut haberent merita necessaria, noluitque permittere ut non essent. Generaliter tamen absoluta vocatur voluntas illa quæ non pendet secundum esse à conditione non posita, neque est alicuius sub conditione suspendente, sed est æqualis independens ab huiusmodi conditionibus.

IO. Octava diuisio actuum diuinæ voluntatis est in voluntatem antecedentem & consequentem. Quæ diuisio variè exponitur à variis, ut videre est apud Scholasticos in 1. dist. 46. Suarez lib. 3. de attributis cap. 8. nu. 4. & interpretes D. Thomæ qu. 19. art. 6. quo loco D. Thomas in solutione primi, voluntatem antecedentem illam esse vult, quæ est alicuius rei secundum antecedentem seu primam considerationem: id est, secundum absolutam, quæ res consideratur secundum se. Voluntatem vero consequentem esse illam, quæ est rei considerata sub aliquo adiuncto, quæ est secunda consideratio & consequens. Sicut, inquit, hominem iurare est bonum, & hominem occidi est malum, secundum absolutam considerationem. Sed si addatur, circa aliquem hominem, quod sit homicida, sic bonum est eum occidi, & malum est eum viuere. Vnde potest dici quod iudex antecedenter vult omnem hominem viuere: sed consequenter vult homicidam suspendi. Et Deus vult antecedenter omnem hominem saluari: sed consequenter vult quosdam damnari secundum exigentiam suæ iustitiæ.

At vero D. Damascenus lib. 2. de fide cap. 29. quem Suarez supra nu. 6. & alii plerique sequuntur, per voluntatem antecedentem intelligit illam quam Deus habet quasi ex se ipso, non data occasione, & veluti causa, ex parte operum creaturæ: cuiusmodi fuit voluntas creandi mundum; & prima intentio prouehendi genus humanum, & Angelicum, ad statum supernaturalem. Per consequentem vero eam intelligit, quam Deus habet non ex se solo, sed data occasione, vel causa, ex parte creaturæ: qualis est voluntas puniendi & damnandi peccatores, supposita culpæ & iustificandi impium, supposita poenitentia. Alii dicunt voluntatem antecedentem esse illam, quæ est similis cognitioni principiorum, & versatur circa rem per se volitam. Consequentem vero similitudinem esse cognitioni conclusionum, & versari circa rem volitam propter aliud. Alias prædictarum vocum explicationes excogitarunt alii, quæ referunt Suarez supra, Vasquez disp. 83. cap. 3. & Valent. qu. 19. puncto 2. col. 2. sed illas ut minime necessarias, & ex parte male fundatas, prætermittit.

SECTIO III.

De voluntate signi & beneplaciti.

Vltima diuisio in voluntatem signi, & voluntatem beneplaciti, est magis vocum distinctio, quam diuisio rei. Traditur tamen à Magistro & Scholasticis in 1. dist. 45. & à D. Thom. eiusque interpretibus qu. 19. art. 11. & 12. Voluntas beneplaciti, est voluntas vera & proprie dicta, quæ est in Deo: & ut diuisio sit adæquata, generaliter sumitur pro toto velle diuino: alias tamen sumitur strictius pro voluntate simplicis desiderii opposita voluntati efficaci. Voluntas vero signi dicitur, id quod significat voluntatem diuinam, seu quod est signum diuinæ voluntatis, quod, quia signum est, appellatur analogicè nomine rei significatæ, sed cum addito diminutive, signi. Sicut autem signa rerum aliarum non raro foriuntur nomen significati; ita voluntas quandoque dicitur, non solum vera & propria voluntas, sed etiam signum voluntatis: quemadmodum obiectum quoque voluntatis quandoque dicitur voluntas, ut 1. ad Thesalon. 4. *Hæc est voluntas Dei sanctificatio vestra.* Et Matth. 11. *Qui fecerit voluntatem Patris mei.* Però quemadmodum fieri nequit, ut aliquid vere appellatur voluntas nostra, eò quod illud velimus, nisi reuera sit volitum à nobis: ita non potest aliquid appellari voluntas signi, seu in ratione signi, nisi reuera significet voluntatem. Nam alioqui non esset vere signum, nec nomen voluntatis mereretur, ne quidem analogicè. Sicut homo pictus, nisi verum hominem repræsentaret, ne analogicè quidem homo dici posset.

Varia autem ponuntur signa diuinæ voluntatis, è quibus quinque sunt præcipua, ad quæ alia facile reuocari possunt: præceptum scilicet, prohibitio, consilium, permisso, & executio seu operatio: comprehenduntur autem hoc versu:

Præcipit, aut prohibet, permittit, consilium, implet.

Præceptum aut prohibitio iuxta Suarez lib. 3. de attributis cap. 8. nu. 2. de se non indicat absolutam voluntatem Dei ut res præcepta fiat, sed indicat voluntatem absolutam præcipiendi & obligandi ut aliquid fiat, aut ut non fiat, cuius affectu simplicis desiderii ut ita fiat, aut ut non ita fiat. Ratio eius est, quia quod præcipitur aut prohibetur, non semper fit aut omititur. Ergo Deus id absolute non vult: alioqui fortiretur effectum. Sed ut verè loquatur Suarez, intelligendus est de voluntate absoluta strictius sumpta pro efficaci & resoluta. Alioqui si nomen, absoluta, sumatur generaliter pro non conditionata, & non pendente in esse à conditione non posita, negari non potest, quin Deus velit aut nolit absolute, quæ præcipit aut prohibet. Neque enim præcipit sub conditione, si creatura implet.

IO.
Voluntas
antecedens
& consequens.

11.
Voluntas
signi, &
beneplaciti.

Signa diuinæ
voluntatis
multiplicia.

12
Præceptum
& prohibitio
in Deo
est voluntas
absoluta.

impleat, aut implere velit: alioqui non peccaretur contra ipsius legem & præceptum, non implendo.

13. Deterius est quod aiunt Magister in primo distinct. 45. Litera K. & Cameracens. in principio primi sentent. art. 3. proposit. 6. coroll. 3. Deum non velle omnia quæ præcipit, & non nolle omnia quæ prohibet. Quod probant exemplis Scripturæ. Nam, inquit, Deus Genes. 22. præcepit Abraham, ut filium interficeret, quod tamen noluit & impediuit: & Marci 1. Christus prohibuit leproso, quem sanauerat, ne cui diceret; quod nihilominus minime nolebat. Non desunt etiam qui negent præcepta & prohibitiones diuinas esse signa voluntatis, asserantque sic dici tantum, ex eo quod inter homines soleant esse signa voluntatis; aut voluntatem signi eam dici, quæ exterius significatur & videtur nobis esse, cum tamen non sit. Vnde distinguunt illam à voluntate beneplaciti, quia hæc verè est in re: illa autem non verè est, sed apparet tantum, propter aliquam significationem externam.

14. Sed contra: primò, præcipere vel prohibere verè & propriè, non est tantum dicere alicui ut faciat aliquid, aut ne faciat; sed includit vsum voluntatis pro suo iure exigenti, ut id faciat, aut ut ne faciat. Vnde impossibile est, ut qui præcipit, non velit id quod præcipit: & qui prohibet, non nolit id quod prohibet, aut non velit ut ne fiat. Confirmatur quia præceptum consistit essentialiter in declaratione suæ voluntatis, cum legitima potestate & auctoritate coniuncta, quæ vult aliquis ut alius sibi, subditus aliquid agat. Et quia subditus, ratione subiectionis, est obligatus ad parendum illius voluntati: idè tenetur & determinatur ad id quod iubetur.

15. Ad primum verò Magistri argumentum, dico Deum non aliud præcepisse Abraham, quam ut filium occideret quatenus in se erat, siue ut faceret, quicquid in ipso erat ad occidendum, ut generose fecit. Et quemadmodum Deus illud præcepit, ita illud voluit, nihilque amplius vel voluit, vel præcepit; quamuis Abraham, & quibus alius, ex Dei verbis plus intelligere potuerit. Neque enim est negandum signa diuinæ voluntatis semper quidem significare ipsum aliquid velle: non tamen semper significare ipsum velle præcisè id totum, quod nos primo aspectu concipimus ipsum velle. Quod si quis hoc, præcisè sumptum, nomine voluntatis signi significandum esse contendat, quod scilicet Deus re ipsa quidem non vult, concipitur tamen à nobis velle, propter aliquod signum & apparentiam externam: cum eo multum in questione de nomine litigandum non est. Cum hac autem Dei voluntate, & præcepto Abraham facta, non fuit incompatibilis voluntas efficiendi conatum Abraham, & effectum vltiorem, quem non volebat.

Tomus I.

Ad secundum, dico Christum nihil sic locutum esse, sed verè voluisse ut quantum ad illum spectabat, miraculum non diuulgaretur, quamuis leprosus euulgauerit. Cæterum nomen præcepti aut prohibitionis interdum sumitur pro mentione ut aliquid fiat, vel non fiat; quomodo potest intelligi Christum prohibuisse leproso quem sanauerat, ne id alicui diceret.

De aliorum opinione dico, non satis conuenientem Scripturæ esse, facerèque ut agere contra præceptum Dei, & prohibitionem, nihil offensæ contineat. Nam si Deus, dum præcipit, aut prohibet, non intendit iure suo uti, nec pro illo exigit obseruationem præcepti aut prohibitionis; non offenditur ipse verè à transgressore mandati. Quod si dicas malum esse agere contra signum voluntatis diuinæ, licet voluntas verè nulla sit: sicut etiam bonum est facere secundum signum voluntatis diuinæ, licet nulla sit verè voluntas. Respondeo si ita verè est ut prædicta opinio affirmat, Deum scilicet quando secundum speciem & apparentiam externam præcipit aut prohibet, non velle quicquam, nisi ponere solummodò signum inane; nullum reuera esse præceptum, nec vllam prohibitionem, quæ vim habeat obligandi. Nam si Deus non utitur iure suo per voluntatem exigendo id quod potest exigere, non obligat nos, neque serio agit, sed ludit tantum. Secundo, ponere signum inane & sine intentione significandi verè aliquid, tam frequenter & communiter, quam Deus ponit præcepta & prohibitiones, Deo indignissimum est, maxime verò adiuncta mortis æternæ interminatione. Tertiò, si aduersariorum opinio vera esset, Deus non satis manifestaret voluntatem suam præcipiendo aut prohibendo, ac iure aliquid aliud expectaretur ad suscipiendam obligationem prohibitionis aut præcepti.

Huc vsque de præcepto & prohibitionem. Iam consilium non est signum voluntatis Dei obligantis, sed immediatè videtur indicare iudicium diuinum decernens esse melius id quod consulit; & consequenter etiam indicat simplicem affectum Dei, & desiderium, ut id fiat præ alio, quantum est ex parte sua. Nullum enim est Dei consilium, quod non sit prudens, ac proinde quod non sit de meliori bono, Deoque magis grato. Permissio verò duplex est. Primum enim sumitur pro concessione, quæ est ius, quod nec præcipitur, nec prohibetur, nec consulitur ut melius, sed est licitum: ut ducere uxorem, habere res proprias, & similia quæ communiter conceduntur hominibus. Secundò sumitur pro eo quod aliquis potest impedire, & non impedit, sed patitur id fieri. Differt autem permissio priori modo sumpta à posteriori: quia permissio priori modo includit quod voluntas non repugnet, sed tacitè saltem consentiat

Ee

Consilium est signum affectus diuini approbantis ut melius id quod consulit.

Permissio duplex: & quis affectus in Deo utrique respondet.

TINO
US
part
VI

ut aliquid fiat, quamvis illud nec precipiat, nec commendat. Posteriori vero modo permissio non includit, quod voluntas permittentis non repugnet ei quod permittitur: sed tantum quod non impediat. Permissio ergo priori modo indicat voluntatem, tacitam saltem, eius quod fit: posteriori vero modo non designat generatim, ne quidem simplicem affectum eius, quod permittitur: Deus enim permittit peccatum: quod tamen nullo modo vult: sed indicat saltem voluntatem non denegandi concursum generalem ad rem permissam, & non impediendi ne fiat.

18. Animadvertendum verò est aliud esse permissionem: & aliud, id quod permittitur. Ex quibus permissio ipsa est per se volita: Illud verò quod permittitur, non est per se directè volitum, sed quod permittatur, sed non est nolitum efficaciter omnino ad impediendum. Item permissio potest esse non modò non mala sed etiam bona: quamvis id quod permittitur sit malum. Et hac ratione Deus bene permittit peccata, quae tamen sunt pessima. Licet etiam omnis permissio sit Deo voluntaria causaliter, quia est eius actus, aut quasi actus: non tamen id omne quod permittit, potest esse & propriè esse voluntarium causaliter respectu Dei. Suppono enim ex dicendis 1. 2. disp. 9. sect. 2. falli eos qui dicunt permittentem se habere aliquo modo voluntariè ad illud omne quod permittitur, non quod directè & per se, affectu profectivo & volitivo; sed tanquàm non efficaciter nolendo. Meliusque sentire alios qui distinguunt cum D. Thom. 1. 2. qu. 6. art. 3. & affirmant tunc tantum aliquem se habere voluntariè ad id quod permittit, aut non impedit, aut non vult, quando potest & debet illud impedire & vitare: scilicet si non potest, aut non debet. Alioqui Deus voluntariè se haberet ad peccatum, quia posset impedire & non impedire. Neque dicas negari non posse quin voluntariè se habeat aliquo modo, ille cuius voluntas liberè se habet ad aliquid; ita ut illud non efficaciter nolit, sed fieri patitur: atque ita voluntariè se habere suo modo aliquem ad omnia quae liberè non impedit, quamvis nullum sit debitum impediendi: quia ratione Deus voluntariè & liberè permittit peccatum. Respondeo enim non suf-

ficere ad voluntarium propriè dictum & causaliter, quod permittens possit & nolit impedire eventum aliunde futurum, si non tenetur impedire. Quia in moralibus nulla habetur ratio eventus, cuius vitandi nulla fuit obligatio, sed perinde aestimatur talis eventus respectu permittentis, ac si non esset. Quare non potest ad illum velut ad eius causam reuocari: ac proinde non potest dici esse illi voluntarius causaliter.

Denique operatio, seu executio Dei, indicat voluntatem, quae vult facere, vel concurrere ad id quod fit. Deus enim omnia ad extra per voluntatem operatur. Sed hæc voluntas non est semper eiusdem rationis. Aliter enim vult Deus quod ipse solus facit, quam quod facit per creaturas, aut concurrente cum illis. Item aliter id quod pure bonum est, & aliter id quod habet malitiam moralem adiunctam: idèoque fortè à Psalmista dicitur Psalm. 110. *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius:* quia scilicet varij sunt volendi modi, qui latènt in operibus diuinis. Differunt autem executio à permissio, ne, quod permissio non est executio, seu consistit in eo quod est concedere, aut non impedire, cum aliquis possit. Similiter præceptum, prohibitio, & consilium, cum inter se, tum ab his differunt, ut ex dictis notum est.

Præter hæc quinque signa diuinæ voluntatis, alia quædam sunt, quæ ad illa reuocari possunt. Vnum est, impedire aliquid, siue ponendo causas contrarias, ne fiat, siue non ponendo causas necessarias. Præterea aliud signum est voluntatis diuinæ, non facere. Nam quemadmodum facere est signum volendi: ita non facere, cum quis possit, est signum nolendi, aut non volendi, efficaciter. Item sicut non impedire est signum volendi, vel non efficaciter nolendi; sic impedire ponendo causas contrarias, aut subtrahendo necessarias, est signum efficaciter nolendi. Neque verò sunt idem exequi, & ponere causas contrarias: Nam hoc potius contrarium est executioni. Non etiam sunt idem, non facere, & permittere, ut notum est: neque etiam non facere, & impedire: quia potest aliquis non facere, qui tamen non impedit; & impedire plus est quam non facere. Quare hæc & similia non immeritò addi possunt signis diuinæ voluntatis supra commemoratis.